



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Evsebii Nierembergii Madritensis Ex Societate
lesv De Adoratione In Spiritv Et Veritate Libri Qvatvor**

Nieremberg, Juan Eusebio

Antverpiæ, 1631

Cap. III. De Puritate spiritus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46187)

in spiritu & veritate oportet adorare. Quare
 vt adores veraciter, & seruias perfectè Deo in
 spiritu vero, oportet vt transcendas te, & om-
 nem creaturam, & affectionem creatam; &
 anheles & ames solam diuinam veritatem, &
 quasi profecturus statim de hoc mundo, om-
 nibus creaturis, & tibi ipsi valedicas: adhæ-
 rens per charitatem puram Domino vnus
 spiritus (vt dicit S. Paulus) factus cum Deo
 vno, qui veritas ipsa est. Reuelle te à te ipso,
 vt cum Deo inseraris: diuide te à te ipso, vt
 cum Creatore tuo vnieris: refige te à te ipso,
 vt in cruce cum IESV figaris: extirpa te à te
 pessimo, vt in omni bono radiceris. Fuge na-
 turam tuam; in Deo inuenies asylum tui:
 absque dissimulatione te perde, & lucraberis
 te verè.

CAPVT III.

De Puritate spiritus.

NE in aliquo recenseas te bestiarum &
 iumentorum grege, qui cum Deo vnus
 spiritus potes esse, ô coheres Christi: in nullo
 congaudeas de societate pecorum. Omnes
 carnis & naturæ delectationes contempnas,
 nullatenus aliquâ reseruatâ & permiffâ: vna
 sola saporem veritatis vitiabit; vna veritatem
 spiritus offuscabit. Paruis rebus sæpè maxima
 cedunt:

cedunt: aceti guttula inficit totum vasculum meri nobilissimi: stilla atramenti phialam purissimæ aquæ turbat: cur vis perspicuitatem veritatis, & nobilitatem spiritus, exiguâ & vnicâ delectatiunculâ corrumpere? cur à diuino statu te deijcis? cur à Dei gremio & dulci amplexu te abiungis, vt gustes minutas fæces rerum, cum nec à Christi cruce descendere debueras ob Regna mundi? O auare & pusillanimis, cum vnionem inestimabilis pretij empturus dederis iam talenta plura; demum ne addas vnicum assem, conuentionem rescindis. Imò stultior es: nam mercator nihil perderet, solùm non lucraretur gemmam; redderetur enim illi sua pecunia: at tibi non reddentur magnæ delectationes; & quia minimam non vis relinquere, non lucraris genuinum spiritum. Cur longissimum cursum progressus feliciter, iam in metâ ne addas vnicum gressum, frustraris præmio? Non graue & amarum putes abstinere omnibus: vt potuisti maioribus carere, poteris minoribus; vt potuisti multis, poteris alijs; vt potuisti pluribus, poteris reliquis.

Quid est quòd aspera sustineas plura, corporis macerationes, humiliationes, opprobria, humicubationes, ieiunia; & aliunde edulij alicuius, aut alterius rei delectatione, aut cupiditate, labefias & vincaris? Anne si peni-

tus

tus renunties gulæ, miser eris? Quomodo Angeli felicissimè viuunt ieiuni? Imò dæmones non tristantur quòd abstineant: sed nec animalia; nam sunt aliqua quæ absque cibis & gulâ fruuntur lætâ naturâ, & gaudent spiritu dumtaxat. Semper æstima te in superiori classe, quàm simiarum aut luporum: ita non sollicitaberis de earû voluptatibus. An doles quia vt cicada non strides? Minimè. An quia cadauera vt vultures non epularis? Nequaquam: quia ea gaudia alterius sunt speciei: sic si te hominem censes, alienas omnes voluptates, quæ bestiarum sunt, contemnes. Quid si te consideras collegam Angelorum? quid si adhæres Domino, vnus spiritus cum eo factus Deus? Quæ per æternitatem non desideraturus es, & eris beatus; potes modò non cupere, & non eris miser. Vt non doluisti carere ludicris & crepundijs puerorum, factus vir: sic nec voluptatibus etiam hominum, factus Angelus, & quasi Deus, dolebis. Si daretur tibi optio, vt transfires in statum angelicum, nõne eligeres, etiam admisâ hac conditione, vt in æternum abstineres? Ecce nunc ad tempus hæc optio datur. Voluptates & cibos, quos satur ventre despicias, cur non famelicus virtutis despicias? quas æger corpore fastidis & horres, cur non & mente sanus? quid impossibile iudicas virtuti, renuntiare voluptatibus,

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. I. 15
bus, quod necessarium facit infirmitas? Quod
potuit vitium naturæ, nõne poterit robur
gratiæ te facere pertæsum delectationes om-
nes viles? Si tibi fastidio aliquando fuerunt
diuina & spiritualia, crede posse fastidio esse
carnalia. Potes viuere in hoc exilio cum peri-
culo inferni sine immensis voluptatibus cæli;
etiam poteris ad odorem paradisi sine his vi-
libus terræ. Quot hominum millia in labo-
ribus & luctu sunt, & tamen viuunt? tunc so-
lus moriturus, quia sine gustu? Vixisti ali-
quãdo in dolore: modò viue sine voluptate.
Totiens fuisti dolens, modò tantum esto
continens. Si pudet sapere cum vulgo homi-
num, pudeat gustare cum vulgo bestiarum.
Imò belluæ abstinent magis; quæ minoribus,
simplicioribus & paucioribus voluptatibus
contentæ sunt, quàm plerique hominum.
Idem cogita de reliquis voluptatibus sen-
suum & animæ, & qualibet aliã propriæ vo-
luntatis fruitione.

Oportet repudium æternum renuntiare
omnibus rebus; & potes, & sine periculo tui,
imò sine molestiã. Sed vt voluptate omni ca-
rere queas, care voluntate omni etiam leuissi-
mã, licitã & iustã. Caue, si propriã voluntate
induaris, & non sis nudus, inde caro assueta
dominari velut Domina Ioseph apprehendet *Gen. 39.*
laciniam vestimenti tui manu suã, hoc est,
appe-

appetitu connexo voluntati, & adulterare te coget. Lacinia sufficit ad tantum facinus: minimâ ansulâ gubernantur ingentia damna: nisi pallium penitus relinquant nudus, periclitaberis. Reijce voluntatem tuam integram, nec te protegas damno tuo, nec periculo tuo te amicias. Elias raptus in cælum, pallium reliquit: neque tutò ad cælestem vitam aduolabis, nisi relicta voluntate. Rescinde omnem voluptatem & voluntatem; rescinde te à te in omnibus: cur vis, iam pluribus recissis, manere in paruo ligatus, limitatâ libertate spiritus. Non est liber canis, quòd longam catenam habeat, vt per interuallum ludat. Accidit plerisque quod passeris, quem puer ligatum filo habet: qui emissus, putat se liberum, & volat alacris vsque ad spatium funiculi; mox miserè cadit. Sic anima velut filo manet ligata, nisi cuncta resciet: putans se expeditam, post spatium certum, turpiter pronuet in cœnum: quin etsi effugias à carne, & te auellas ab illicitis, & voles per cælestia; si tecum feras voluntatem, adhuc in rebus sublimibus detineberis, & impedieris. Passer ereptus è potestate pueri, si secum ferat filum, in cacuminibus arborum vicinus cælo illaqueabitur, & peribit.

Sed forsân triste putabis adhuc, omni voluntate & delectatione orbari. Quid si dicere
rem

rem non esse triste, omnes dolores & cruciatus optare? Non enim mœstum erit, omni voluptate priuari, si iucunda sit ipsa priuatio. Huc se diffundit vigor spiritus, hoc machinatur artificium gratiæ, ludens saporibus rerum, ut omnia dulcia huius mundi fastidias & horreas, omnia amara concupiscas. Non mœstum hoc credas: nam nomine tenus amara erunt, si cupiantur. Natura facit, ut quod vni insipidum, alij sit suaue: ane hebetior erit gratia? In muliebribus passionibus est, appetere insipida & absurda, carbones, lutum, gypsum, atque fastidire edulia exquisitè condita: quod femineæ ægritudini contigit, impossibilene erit saluti diuinæ? corruptus stomachus appetitum gubernat, & integra mens nihil valebit in voluntate? Ne igitur timeas, ô pusillanimis, quæ de spirituali vitâ audis: nam minimè molesta & grauis est, etsi necesse sit amplecti molesta & grauia omnia. Ne te atterat nomen inane aut opinio: aude, aggredere, terrebis tu ipsas difficultates. Fertur genus thesaurorum sub magico artificio, quos custodiunt horribiles manes & spectra tremenda: at si quis audeat, solùm contemnens illa spectacula, subitò faceffunt omnia & euanescent, ut numquam ampliùs appareant, ut deinde securè & placidè fruatur diuitijs illis. Non maiori labore est opus quàm animo.

B For-

Fortiter aude, vt thesauris spiritualibus potiaris:repentè spectra difficultatum disparebunt. Virili corde inuade, fruiturus, sine æquâ molestiâ, arcanâ dulcedine vitæ spiritualis. Mella laborant apes, sub deformi subere latentes.

CAPVT IV.

Quomodo veritas per fidem constet. Et de fructu & vsu huius virtutis.

IN mendacijs ambulat, non in veritate nec in spiritu, qui non ambulat in fide. Procul à sensu habitat veritas. Hæc cælestis planta non floret in terrâ ; non alitur sanguine & carne ; non nascitur inter stercora materialium. Passim decipimur in bonis corporalibus ; & his ipsis, quæ corporis intuemur oculis, & manibus contrectamus. Remus integer, in aquâ videtur fractus : turris quadrata, rotunda videtur dissitis : lux ipsa solis, quæ est tota fides oculorum, sæpè fallit illos, fingens colores qui non sunt : quomodo non seducemur in rebus animæ & spiritualibus, quas non videmus ; & diuinis, quæ extra humanum sunt captum ? Totum humanum genus mendacij tenebris caligabat, velut in specu, sine vllâ fenestrâ aut rimulâ, per quam leuissimus radius posset illucere : ipsi Philosophi præclariores, solum sciri dicebant
omnia